

**Quaestio medica ... an legitimus quadragesimalis victus salubris? / [Claude François Grandclas].**

**Contributors**

Grandclas, C. F.  
Winslow, Jacques-Bénigne, 1669-1760.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1749]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/q89gs2pz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.  
 UNI ET TRINO,  
 VIRGINI DEI - PARÆ, ET S. LUCÆ  
 Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,  
 CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS  
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-septimo  
 mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLIX.*

P R Æ S I D E

M. JACOBO - BENIGNO WINSLOW, Doctore  
 Medico, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Anatomes &  
 Chirurgiæ in Horto Regio Professore, &c.

*An legitimus Quadragesimalis victus salubris?*

I. (a)



R I M I Philosophi rerum naturalium causas Diis tribue-  
 bant, dein quibusdam Spiritibus creatis, quorum alii extrâ  
 res naturales positi ipsis prospiciebant, alii intrâ ipsas age-  
 bant; indè Paganorum, Cabalistarum, Peripateticorum fa-  
 bulæ, Neoterici alio modo in inquirenda veritate processerunt;  
 Anatomes, Chymiæ, Geometriæ, Phyciæ experi-  
 mentalis auxilio diversas finxerunt hypotheses, quibus in functionibus na-  
 turalibus nihil ab anima immediatè proficisci, demonstrare conati sunt. Nec  
 hi prioribus sapientiores, Corporibus nimium impertiunt. Homo ultimum  
 est & peculiare Creationis opus. Non eodem tempore cum aliorum ani-  
 mantium genere factus est. Propria ipsi fuit servata Creatio. — Corpus  
 & animam jungi nullus est qui inficias eat; nullus qui utrumque in se in-  
 vicem quadam proportione operari difficulter credat. Hocce negato singula-  
 ria hominis; sive in sanitate, sive in morbo, sive in quibusvis vitæ cir-

(\*) Videatur Nota ad Calcem, §. I-V, seq.



cumstantiis intelligi vix possunt. In mixtis sunt quædam proprietates, quarum aliæ à distinctis qualitatibus aut à certo principio emanant, aliæ quæ ab adunatis istorum corporum qualitatibus oriuntur. Ita sunt in homine attributa, quorum alia à solâ animâ, alia à solo corpore, alia ab utroque surgunt. — In statu sano, verbi gratiâ, Idiosyncrasia, temperamentum, ingenii indoles, functionum ordo, situs, duratio, cursus, determinatio, tempus; in situ morbofo mania, delirium, melancholia, malum hypochondriacum; non sunt unius corporis, neque solius animæ, sed sunt utriusque effectus sive modificationes diversæ. — Animæ functio cogitatio; corporis actio motus; — Distinguuntur quidem anima & corpus, sed nusquam per vitam separantur. Nihil fieri potest in anima, quod ad corpus plûs minûsve sensibiliter non extendatur; & vicissim nihil fit in corpore quod postea mentem non afficiat. — Materialis valetudo in Homine à corpore pendet, Formalis ab anima. Hujus tutela Religio est, illius conservatio Medicina nostra. — Una Ecclesiæ Doctrina; multiplex ac diversa ejusdem Disciplina. Doctrina respicit animam, Disciplina totum hominem. Eorum, quæ necessaria sunt, facilis est abusus; circa Victum & Vestitum plerique hominum **ERRORES**. Ad eos præcavendos aut emendandos — omnis Ecclesiæ Doctrina. Homo igitur sese totum Religioni debet. — Ut homo totus circa Deum applicetur sine ullo corporis & animæ detrimento, — præstat Rerum non naturalium & externarum pia tractatio, quâ corpus iisdem fruatur commodis ac exercitatione.

## I I.

**MIRABILIS** est Cutis & Abdominis inter se conspiratio. Ubi hujus laxitas, ibi illius densitas, & vicissim. Utriusque consensus circa ægros potissimum observatur. Nullus diuturnior in cute vel in abdomine detegitur affectus, nisi simul utrumque laboret, aut brevi aliquâ ægritudine laboraverit. — Quantus aër, tantus cibus, id est, pro cutis ab aëre pressione, ea in stomachum alimentorum, habitâ ratione speciei, apponenda quantitas: tenuior indè in regionibus calidis, crassior in frigidis alimonia. Aëris mutationes aliæ diurnæ, aliæ menstruæ; graviores quæ singulis tempestatibus contingunt. Ex istis mutationibus æquilibria tentantur. Ne corpus animæ vim inferat, sancitæ fuerunt ab Ecclesia Ciborum mutationes. Omnium aëris mutationum saluberrima quæ verno contingit tempore. Præstantissima pariter, quæ per illam tempestatem Ecclesiæ mandato fit ciborum mutatio. Verni aëris elateri & mobilitati respondent alimonia Quadragesimalis tenuitas, raritas & varietas. Victus iste corporis æquilibrium servat, fibras nec deterit, nec debilitat. Ipsius (*victus*) occasione œconomia animalis intima resurgit vis, natura suas feliciter experitur crises, demum citrà ullam in mente perturbationem Vere novo renovatur Homo. Naturale Jejunium est ea in vivendo temperantia, qua quis indigentia tempora non prævenit, cibos non quærit lautiores, non perit eosdem paratu accuratiores, nullam alimenti, sive abjectioris, sive delicatioris æstuosè desiderat speciem; denique in quantitate sumenda mensuram servat. Illæ vivendi leges quotidie commendantur à Medicis ad morbos præcavendos, sanitatemque conservandam. Eadem ab Ecclesia sanciantur, determinatâ alterius Cibi specie in diæta Quadragesimali.



QUADRAGESIMALE Jejunium, etiam quale sit hodie, servat corporis æquilibrium. A pristino ab Apostolis tradito licet differat, utpote strictum minus, ejusdem efficaciam est. Securè indulget Ecclesia. Ampliatis viræ humanæ laboribus, auctâ alimoniam copiâ, nihil ab abstinentia detrahit. — Alma Societatis mater est. Ex ipsius præcepto datur Esca fide securo, ratione necessaria, visu aliundè pulchra gustuque delectabilis. Venit & ex omni parte commoda versùs finem Hiemis initiumque Veris. Hiems, parasita tempestas, frugibus vivit alienis, sive perennioribus, sive induratis igne, siccatisque sole, sive saccharo acetove conditis. Jejunantibus multiplex offertur cibus. Quicquid tunc abortit terra, mare & flumina produnt, quæcumque fingit ars, humana servat providentia, præstò sunt ad vescendum. De omnibus ut Christiani comedant, præcipit Ecclesia, unâ exceptâ Carne, (*exceptisque ab eadem oriundis, ovis, lacticiinis, &c.*). Tempore Quadragesimali Pisces, Legumina, Olera, Fructus — sola licitè & tempestivè ministrantur. Accedente Vere, aër calore suo & humiditate, tum nativâ, tum à frequentibus imbribus ortâ, eos in œconomia animali excitat motus, quibus tota conatur ad tonum recuperandum, succosque Hieme congestos exprimendos. Ut isti felices sint motus, præcaveri debet, ne quæ per annum fit ad vasa plenitudo, vires impetat corporis. Dat hæc commoda diætâ (*victus*) Quadragesimalis. In ea duo sunt consideranda, Jejunium & Cibi præscripti species. — Jejunium est semper & ubique necessarium & possibile. Ab eo — præsertim diætæ Quadragesimalis vel præstantia, vel nocumentum. Supponit ferè factam in corpore accretionem, vult integra viscera, præcipuè pulmones, quibus infensum, si sit in ipsis aliqua labe. Jejunio nullus tenetur nisi elapso ætatis anno vigesimo-primo, quo tempore uniuscujusque jam nota valetudo est. Innotescit Jejunii virtus minus quamdiu adhibetur, quàm eo finito, solitis assumptis cibis. Jejunio succi refluû circulationis lege redduntur, rursusque nutritioni cedunt. Solida molis indigestæ aliquid amittunt, plurimum roboris & elasticitatis deinceps acceptura. Quæ fit in iis afflictio sive maceratio, est in dies crescens intimus fibrillarum contactus, quo anima molestam percipit sensationem, haud absimilem dolori, quam à nova earundem extensione suscipit convalescens, ubi primùm sese exercuerit. Hæ impressiones in convalescente nutritione delentur; illæ in jejunante peculiari suâ diætâ servantur ad tempus. Ne homo istis adventitiis assuescat molestiis, Ecclesiastica disciplina commestionis horam indicavit, ciborumque speciem & quantitatem definivit. » Idcirco enim Jejunium definitur maceratio seu afflictio carnis ex abstinentia ciborum, nempe talis abstinentia, ut per ipsam caro aliquod incommodum sentiat & affligatur. (a) Afflictio carnis quæ in jejunio ab Ecclesia affectatur, non tam ex qualitate ciborum provenit, quàm ex demissione consuætæ cœnæ, ob quam corpus aliquâ inediâ maceratur. (b) Ecclesia etiam Horam certam comeden-

(a) Zacch. Quest. Med. leg. l. 5. q. 5. n. 4.

(b) Ibid. q. 8. n. 30.



» di præscripsit , nam si prævenire hanc Horam liceat , facilè etiam leve  
 » illud famis prædictæ incommodum evitabimus , nullumque ex jejunio  
 » laudabilem fructum percipiemus. ( c ) — Quantitas cibi vespere in  
 » collatione , vel refectiuncula , aut cœnula assumendi , ne jejunium fran-  
 » gatur — sit ad modicum quid , quod uncias duas aut tres ad summum  
 » non pertranseat. Sed verè — definiri ea quantitas , propter varietatem  
 » subjectorum & conditiones ab extrâ evenientium , nullo modo potest.  
 » Ut hæc tamen exquisitiùs decidantur , repetendum id quod dictum est ,  
 » Quantitatem cibi assumendi non debere esse notatu dignam , unde &  
 » Qualitatem talem esse oportet , ut quàm minimum , vel nullo modo nu-  
 » triat. Ergò inter omnes cibos minimi nutrimenti sunt herbæ & fructus  
 » atque utraque profectò eò minus nutrire possunt , quæ simpliciora as-  
 » sumuntur ; cocturâ enim & conditurâ aptiora ad nutritionem efficiuntur.  
 ( d ) « Neque hæc ( tunc necessaria ) perturbant. Dura licèt , pietate  
 leviora fiunt , mentem circa Deum applicant , sensuum acumen operan-  
 tur , motus corporis compescunt.

## I V.

**A**NTEQUAM aliquis Quadragesimale Jejunium suscipiat , suam  
 ipsi licet inquirere valetudinem. Si patiat , dubitare sapientis est ,  
 sed prohibita violare non præsumat nisi à Sacerdote permissum suscipiat. Me-  
 dicos etiam consulat ( sapientiâ & experienciâ doctos , religione & conscien-  
 tiâ probos ). — . Ut legitima detur à jejunio immunitas , decem sunt ob-  
 servanda : 1°. Temperies , 2°. Ætas , 3°. Conditio , 4°. Sexus , 5°. Cor-  
 poris habitus , 6°. Ingenii indoles , 7°. Consuetudo , 8°. Vitæ munus ,  
 9°. Incommoda præsentia , 10°. Mala quæ ex diætâ ( Victu ) Quadra-  
 gesimali possunt contingere. Quæ ex hisce depromuntur impedimenta ,  
 alia jejunium , alia ciborum speciem , alia quantitatem , alia omnimodam  
 abstinentiam respiciunt. Temperies sæpè accusatur tanquam impedimentum ;  
 ipsi ne nimis auscultet Medicus. — . Prima & ultima Ætas excusant à  
 jejunio. — . Ex senibus non immunes qui facillimè jejunium ferunt ; —  
 soli inter eos qui anili marcore conficiuntur , quibusque sit frequens ven-  
 triculi morsus. Conditio personarum neminem dispensat. Mulieribus gravi-  
 dis , puerperis , nutricibus ( habito respectu ad periculum fœtui vel lactenti  
 imminens ) prohibentur jejunium & abstinentia. Tenuior corporis habitus  
 est legitima dispensatio , saltem à jejunio. Ingenii indoles corporis tempe-  
 riei affinis. Huic nonnunquam condonandum. — . Consuetudini , ubi præ-  
 textitur , nulla habenda ratio ; ipsi Medicina cedit , Religio numquam.  
 Efficaciùs homini prodest , licèt inassueta suadens , pietas. Dubitante Mal-  
 lassarè , Daniel & ipsius focii bene conscii edulia Nabucodonosoris fastidiunt ,  
 aquâ pro potu , leguminibus pro cibo vescuntur , Post dies autem decem ap-  
 paruerunt vultus eorum meliores & corpulentiores. Sæpè & legitimè à jeju-  
 nio excusant vitæ munia. Non tam à Ciborum qualitate quàm à quanti-  
 tate & tempore refectionis dispensant. Non à laborum specie , sed ab ef-  
 fectibus quos pariunt , desumenda excusationis causa. Morbus est causa

( c ) Zacch. Quest. Med. leg. 5. q. 1. n. 32.

( d ) Ibid. q. 9. n. 16. 17. 20. 21.



sufficientissima & evidentissima homines à jejuniò excusans. Debet esse  
 gravis, totum corpus aut partem notabilem afficiens, ut admittatur tan-  
 quam legitimum impedimentum. Si sit confirmatus, ut cæcitas, non ab  
 ulla jejunii conditione excusat. — *Immunitas occasione morborum concessa*  
 est vel generalis, vel particularis. Scilicet alia carnem, alia ovorum usum  
 tantummodo permittit, alia comestionem multiplicat, alia refectionis ho-  
 ram mutat. *Timor rationabilis futuri mali* est justa causa excusationis.  
 Timendi rationes desumuntur ex tenuitate corporis, cujuscumque vis-  
 ceris debilitate, ex morbis præteritis facilem recidivam facientibus. —  
 Nullus (*agrotus*) gloriatur se invitis jejunasse Medicis. — Uni sano li-  
 citum est suam explorare naturam per hocce tempus. Experimentorum  
 est opportuna tempestas. Quot tunc sumuntur cibi, tot observantur. Ex  
 ipsorum impressionibus in unumquemque hominem diversis singularis pro-  
 dit temperies. » Discant tam Medici quàm eorum consultores, non esse  
 » petendam absolutionem à jejunii obligatione illico atque læsum quis se  
 » senserit à jejuniò, sed potiùs quærendum, an aliqua ratio jejunandi sit,  
 » quæ sit magis salubris quàm præterita; discemus enim tunc, à qui-  
 » bus abstinere nos oportet. (a) « — Sunt enim qui à particulari cibo  
 noxas percipiunt, quo omisso servari potest commodissimè jejuniùm.  
 Aliis nocet plurima comestio unicâ vice facta; si minus comedant, etiam-  
 si non cœnent, absque noxa jejuniùm ferre poterunt. Aliis nocet cibo-  
 rum varietas; simpliciori cibo sint contenti; nullo modo à jejuniò læden-  
 tur. » Videant ergò Medici, ac rigorosè insistentes examinent, an aliquid  
 » simile itrepere possit in his, qui jejunare obligati, ab ea obligatione  
 » se eximere student hujusmodi illegitimis excusationibus. (b) — Quæ-  
 » cumque dispensatio à quacumque conditione requirat particularem con-  
 » siderationem, ita ut teneamur in licentiis concedendis fidem facere,  
 » an cum licentia comedendi carnes intelligatur annexa licentia bis in  
 » die, aut pluries comedendi, aut horam jejunii præveniendi. — Ubi  
 » quis dispensatus sit ad carnes ob timorem tantùm futuri morbi, non  
 » censendus ad aliquid ulterius dispensatus. — Quia unusquisque tenetur  
 » jejunare eo modo quo potest. — Nullus enim immunis esse debet in  
 » vigiliis & jejuniis & Quadragesimâ ab ea carnis maceratione, quam si-  
 » bi licet exercere absque evidenti sanitatis dispendio; ita ut si quis non  
 » possit à carnibus abstinere, quia pisces suæ naturæ contrarii sunt, ab-  
 » stineat saltem à multitudine refectionis, —; servet item horam jejunii  
 » ab Ecclesia determinatam, ut carnem eo modo, quo potest, affligat.  
 » —. Quòd præcipuè advertendum, ubi licentia Ovorum & Lacticiniorum  
 » tantùm concedatur; tunc enim — non censeantur ab aliis jejunii obli-  
 » gationibus soluti, qui tales licentias obtinuerunt. (c) Dictum jam superiùs  
 » non semel est, Ecclesiam in impositione jejunii non intendere animæ  
 » vel corpori detrimentum inferre. Idcirco non modò non permittit je-  
 » juniùm infirmis, sed dissuadet. —. Hoc fundamento posito, dico, Ec-  
 » clesiam — rectè etiam ab abstinentia potùs & tolerantia fitis nos ab-  
 » solvere, quia ex fitis tolerantia, maxime si immodica sit, periculum im-  
 » mineat corporeæ salutis. —. Nam faciliùs toleratur fames per tres dies;

(a) Zacch. Ibid. q. 5. n. 6.

(b) Ibid.

(c) Ibid. q. 8. n. 6. 8. 9.



» quàm sitis per tres horas. — . Ergò hanc sitis tolerandæ difficultatem  
 » præ oculis habens Ecclesia , ad libitum bibere quandocumque permi-  
 » sit , eo solummodo contenta , ut mediocri & rationabili famis toleran-  
 » tiâ gliscentem carnem , quoad fieri potest , compescamus. — . Vini po-  
 » tum extra cibum & cum cibo in die Jejunii ab Ecclesia tolerari ; pri-  
 » mò quidem propter consuetudinem , — quòd cùm nos ab incunabulis  
 » vino assuescamus — facilè in jejuniis sitim incurrimus , quam si aquæ po-  
 » tu extinguere velimus , ob desuetudinem in difficilia symptomata labi pos-  
 » semus. — . Secundò quia præcipua intentio potûs est distributio alimenti  
 » solidi. — . Tertiò quia intentio potantis est levare sitim , quod ab Eccle-  
 » sia — permissum. — . Ecclesiæ indulgentia se extendit tantùm ad sitis  
 » extinctionem , — non enim intendit Ecclesia , ut vini potu famem re-  
 » pellamus , sed tantùm ut sitim extinguiamus ; at sitis vino optimè diluto  
 » extinguitur , fames autem meraciore vino superatur. — . Etiam si enim  
 » vinum nutriat , non ut alimentum , sed ut potus concessum est ( aquâ  
 » permixtum ) ad ciborum distributionem , & ad sitis extinctionem ( d ).

Præcedentes hæ quatuor Sectiones ex uberrimâ Clarissimi quondam Collegæ M<sup>r</sup>  
 LUDOVICI DE SANTEUL , Dissertatione de Quæstione Cardinalitiâ in Scho-  
 lis Medicorum discussâ , die 30 Martii 1733 , *An sana sanis diata Quadragesimalis ?*  
 excerptæ sunt , ipsis quidem verbis , mutato tamen ordine , paucisque non omni-  
 nò ad mentem Auctoris intra hamos Parentheson alieno caractere intermixtis ;  
 quibusdam insuper ex Consultissimi D. P. ZACCHIA , *Quæstionum Medico-Lega-  
 lium* insigni opere , cui Dissertationis laudatæ D. DE SANTEUL , non exigua  
 pars debetur , prolixius additis , geminâque ad marginem positâ virgularum serie  
 distinctis.

## V.

**L**EGITIMUM *Quadragesimalem victum* abundè subministrant Pisces ;  
 Frumenta , Legumina , Olera , Fructus ; victum partim cunctis sine discrimi-  
 mine , singulis partim cum delectu salubrem. Cæterùm quid œconomix ani-  
 mali exinde generatim faveat , quidve speciatim , experientia non semel  
 facta , sed aliquoties seorsum ritè examinata docebit. Lingux , palato , gu-  
 læ , totidem indulgentissimis receptaculi alimentarij janitoribus , minimè fi-  
 dendum. Renuentibus iisdem , quicquid universi corporis tam conservandæ ,  
 quàm refarciendæ sanitati reverà convenit , fideliter assumendum. Condi-  
 menta ciborum , uti quovis tempore , ità verno præsertim , irritamenta  
 gulæ. Victum quemvis genuinè salubrem , inò saluberrimum atque opti-  
 mum quemcunque , pessima corruptione inficiunt hodiernæ coquorum ,  
 cupidinariorum , ac vinariorum artes , corpori funestæ , funestiores ani-  
 mæ , Religioni funestissimæ. Ità profectò. Depravatæ nimirum consuetudi-  
 nis in dies gliscentis vitio , hodiernus quibusdam in locis per tempus Qua-  
 dragesimale victus à pristino salubriter instituto ità degeneravit , ut quam-  
 plurima hinc enascentia valetudinis solitæ detrimenta ansam dederint in-  
 culpatissimum culpandi victum ; sub isto prætextu legalibus escis unctiores  
 intermiscendi dapes , iisdem licentiùs abrogatis lautas substituendi mensas ,  
 & , quod magis dolendum , ipsam criminandi Ecclesiam Catholicam , in  
 Oratione primi Quadragesimæ Sabbati *hoc solemne jejunium animabus cor-*

( d ) Zacch. Ibid. quest. 6. p. 10. 22. 27. 28. 29.



poribusque curandis salubriter institutum esse præmonentem. Verùm hujusmodi indoctorum hallucinationes, delicatiorum & gulosorum prætextus, indulgentiorum & conniventium culpas, alienorumque criminationes, notissima præstantissimorum Medicorum, tum nostratùm cùm exterorum scripta & consulta satis superque redarguunt; (e) apertè probando, corporibus vernâ præsertim tempestate talem omnino prodesse victum, qualem animabus atque istis curandis Ecclesia salubriter instituit; non verò talem qualem coquinaria mollescentium, vacillantium, labantium ac degenerum ejusdem filiorum delectamenta sensim ac pedetentim deinceps alterârunt, atque alterando effecerunt insalubrem, conspirante simul perversâ non paucorum, vel scientiæ, vel conscientiæ, vel utriusque expertium, indulgentiâ. Cæterùm licentiores istos non ita pridem Sanctissimus omnium Fidelium PATER AC MODERATOR, BENEDICTUS XIV, gravi notavit censurâ, eosque laudatissimis simul diversorum optimæ notæ Medicorum monumentis quampluribus, erudiendo potiùs quàm refutando, coarguit. (Epist. Encycl. Romæ 1745.) „Accedit etiam, inquit, „quod Medici facilitate quâdam incredibili peculiare à Quadragesimæ „præcepto liberos & immunes decernere soleant, de qua re gravissimè „monendi sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent. — Postre- „mò si velint percurrere ea quæ in Italiâ & extra ipsam præclarissimi Au- „tores Medici typis evulgarunt, facilè deprehendent, abstinentiam ci- „borumque parsimoniam ab illis magnoperè commendari, discrimen in- „ter morbos constitui, & certis rationibus ostendi in curandis quibusdam „morbis nequaquam requiri, ut jesculum & carnes loco piscium, olei, „aut herbarum substituantur; in aliis verò juvare plurimum, si sublatis „carnibus, cùm indicitur jejunium, oleo vel lacte ægrotantes utantur; „illud etiam compertum, delicatis quoque ac mollibus abstinentiam „quadragesimalem nullam inferre perniciem, neque plures ob eam cau- „sam inter ægrotos vel mortuos recenseri. “ Id ipsum unusquisque sui ip- „femet curam gerens quadragesimali tempore, variis variorum esculento- „rum tentaminibus, solò studio religiosè vivendi ac sanitatem religiosè con- „servandi vel refarciendi, prudenter examinatis, luce clariùs demonstrabit. Exulent igitur à mente, à mensâ, & à culinâ quæcumque *legitimum verè- que salubriter institutum quadragesimalem victum* alterare poterunt, & efficere insalubrem. Muriatici pisces, verbi gratiâ Salmones, Haleces, Moruæ sive Afelli maritimi, per dies aliquot aquâ simplici limpidâ pluries renovatâ macerentur ad sufficientem usque salis vetusti ac præ vetustate acerrimi expulsionem, alioque postea cùm sale coquantur. Recentes au- tem qualescumque, vel aquâ solâ cum aliquanto sale elixi, vel super pru- nas leviter tosti, posteaque oleo ac sale conspersi, saluberrimè nutriunt. Parili apparatu simplicissimo Legumina, Radices, Olera verè *salubrem Qua- dragesimalem victum* exhibebunt, variè tamen pro singulari temperamen- torum, idiosyncrasiarum, consuetudinumque varietate variandum. Continuo quamplurium annorum decursu Pisces, Fabis, Lentibus, secundùm hodiernam apud nos artem coquinariam, etiam vulgarem atque usitatissimam, sollicitè præparatis, tormina, borborygmi, ructus, &c. quovis omnino tempore, quâvis cautione, & quàm minimâ quantitate sumptis

(e) Vid. supra §. II. finem.



alicui contigerant, qui posthac iisdem absque omni condimento elixis, & extra focum oleo saleque congruenter mixtis, impune quolibet tempore & quantitate qualibet, imò tam salubri cum successu jam demum ultra tres vel quatuor annos vescitur, ut solis istis salubriter prandere se posse non dubitet. Idem ille trigesimo-primo ætatis anno *victum Quadragesimalem* nunquam expertus, eodem nihilominus anno tali cum salubritate quamvis ex acerbissimo nuperrimè morbo convalescens, & antea sæpissimè valetudinarius, bisque feretro (a) proximus, victum eum sustinuit, ut deinceps per decem ferè lustra, exceptis ob inopinatum violentissimæ febris accessum, duabus ultimis unius Quadragesimæ diebus, saluberrimè continuaverit. Quinimo, quæ ultra viginti annos singulis circiter hebdomadibus ipsum molestaverat, hemicrania, quadragesimali priorum aliquot annorum tempore cessaverit, solitis postea per reliquam eorundem annorum partem recidiva periodis. Eadem verò experientiâ eodem cum successu salutari repetitâ sæpius edoctus, similiter per maiorem plurium deinceps annorum partem absque carnibus carniūque jusculis cœnando, inveteratæ istius hemicraniæ prorsus & perpetuò immunis vivit, anni ætatis suæ octuagesimi mense ultimo; gratâ semper memoriâ recolens Vigilantissimi quondam Decani D. VERNAGE Patris effatum: *Inculpatius vivunt, qui hoc tempore abstinentiæ animabus corporibusque curandis salubriter instituta, & carnes à mensa, & pisces à cœna avertunt, frugibus & oleribus contenti.* (b) Omnibus hisce feriò ac religiosè perpendenti cuilibet evidentissimè constabit, *Quadragesimalem victum* prava consuetudine, indulgentia licentiore, ac delinquentium multitudine pravitate delicti simul obtegente, *alteratum & demutatatum omnino insalubrem esse; genuinum verò atque legitimum solum esse corporibus animabusque curandis verè salubriter institutum.*

(a) Quæst. Quodl. de Signis incertæ mortis 1740.

(b) Quæst. Cardinal. anni 1703, *An Cerealia & Olera agri Parisiensis salubria?* Præsidi M. PERRÉAU, cujus vices gessit ipsemet D. VERNAGE, Decanus & Theseos Autor, præsentè in Scholis nostris Illustrissimo ECCLESIAE PRINCIPÈ JACOBO-BENIGNO BOSSUET, EPISCOPO MELDENSI, cui illam dedicaverat Baccalaureus proponens J. B. W. Danus Othoniensis.

*Ergò legitimus Quadragesimalis victus salubris.*

Proponebat Parisiis CLAUDIUS-FRANCISCUS GRANDCLAS, Pontimuffanus, Doctor Medicus Pontimuffanus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem.